

1707
20
4



Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines across the page.



Catalogus

- 1/ *Præcepta Legibus Humanis, sed non Divinis soluta*, J. B. Franc. Buddæus, Halle 1695.
- 2/ *De Personis Egregiis, earumq; Junibus* Henr. Hildebrand Althorf. 1693.
- 3/ *Christl. Memorien = Rych* *Das. Hift. Hüngrig* J. Philipp. Müller Jena 1699
- 4/ *Ob einer Subrenisse Abtissin in Fautstand* J. G. Frögen. *Herr. Gantzer* Bulemanius K. Franckfurt an Mayn. 1692
- 5/ *De Ferro Illustris Filij Delinquentis.* Johann Klein Rostock. 1697.



- 6/ De Privilegiis Auditorum
ex Auth. Abbit. C. ne filius pro
Patre. Lucas Beckmann
Witteberga 1702
- 7/ De Sumptibus Auditorum
Johann ^{Waysa} Boepferus. Franckf.
ad Rhod. 1687.
- 8/ Apostasia Auditorum
J. S. Witte. Altdorf. 1679
- 9/ Oratio de Auditorii Elegan-
tia. Herm: Weg. de Stadt
Helmsht. 1701.
- 10/ Oratio de Bono Academi-
Christoph. Henr. Ritmejer
Helmsht.
- 11/ Moralitas Graduum Acad-
emicorum. Franco. Albert
Appianus. Rostrob. 1702

- 12 / De Magisterio & Brandano
Henr. Oebhardi Cryptista.
1695.
- 13 / Positiones Juridicae de Do-
ctore Juris Bullato, Mr.
Marbach. Argentor. 1695.
- 14 / De Characteribus boni Docto-
ris J. B. Henr. Acker
Jena. 1705.
- 15 / De Causis cur nonnulli Crudi-
ti nihil in lucem emiserint.
Jnd. Will. Bierling
Rintzel. 1702.
- 16 / De Privilegiis Pauperum
J. B. Volk. Beckmann Jena.
1668.
- 17 / De Jure circa Furiosos &
J. B. J. J. Panberus
Altdorf. 1703.

18 / De Locis Fundorum, Carp.
Heus. Hornius Wittenb. 1693

19 / Ultram et quousq. Sudi ac Mu.
ti Feudorum sint capaces?
H. Heus. Berger. Lippia
1707

20 / De Officio Auditoris. Barb.
Leon. Schwendendorff.
Lippia. 1690.

21 / De Jure Foyae, Diss. Jaug.
Wilhelmi Micigori.
Hardevici 1710.

22 / De Decretoribus s. Delito.
ribus non solvendo existen-
tibus vulgo Banquerottic-
ren, Georg Wernerus
Helmsdorf 1703.

- 23) De Medici Officio, Dissert I.
Johann Bobnius Lips. 1697
24. 25. 26. Continuationes ejus-
dem Bobnij Lipsia. 1697. 1699.
27. Microvellus Medicus seu
Ratio Status Medicorum
Anonymus Argent. 1698.
- 28) De Pseologo Pseudo-Me-
dico Georg Henricus
Cfoetsius Lipsia. 1700.
- 29) Homerus Medicus, Joannes
Brendelius Wittenb. 1700.
- 30) Superstitiosus Medicus, Au-
gust. Quirn. Rivinus
Lipsia. 1698.
- 31) Medicus Inculpatus, Henr.
Rivinus Lipsia. 1699.

32 / De Medicamentis in securis
Frider. Hoffmann ; Hala

1713

33 / An Medicis impune occi-
dere liceat. Willb. Hab.
Waldfmiedt. Kilia. 1704.

34 / Medicina Forensis W.B.
Bodn. Lips. 1690.

35. 36 / Continuationes ejusdem
Bodnii Lips. 1690 1692

37 / Positionum Medico-fo-
rensium Enneac
Albard. Hermann Cam-
mus. Jena. 1654.

38 / De Vulnerebus, Henr. Rud.
Redeker. Rostock. 1667.

39 / Synopsis Doctrina ac Medi-
cina Vulnerum Wittenb. 1673.

- 40 De Vulnere Lettali Iustus
Henr. Mangold Rintbelij
1701.
41. Henricus Meibomius de
Vulncribus Lettalicis,
Helmst. 1694.
42. De Vulneratione Lettali
Frider. Philippus Lipsia
1684.
43. De Fundamentis Lettalitatis
Vulnrum. Georg Wolff.
Wedelius Jena. 1695.
- 44 De Vulnere Capitis, Fre-
naus Hebr. Francof.
ad Oder. 1689.
45. De absoluta Lettaltate Vul-
neris Arteria Magna
Franco. Henricus Merz-
meister Hala. 1694.

46. De Vulnerebus eorumq[ue] Symptomati-
tis. Prutt: Pater B. Wittenb. 1712
47. De Erroribus circa causas mor-
tis subita. H. H. Henr. Hen-
ricus Wittenb. 1703
48. De Efficacia Dierum Criti-
corum in Vulnerebus de Letalia-
tate dubiis. Georg. Wolff.
Wedelius. Jena. 1715

No 18.

Q. D. B. V.
POSITIONES JURIDICÆ,
DE
POENIS
FURIOSORUM,

Quas
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
IN ILLUSTRIS AD ALBIM ACADEMIA,
PRÆSIDE
FACULTATIS JURIDICÆ DECANO
SPECTABILI,
DN. CASPARE HEINRICO
HORNIO,
J. U. D. & PANDECT. P. P. CURIÆ PROVINCIALIS
& SCABINATUS ASSESSORE,
DOMINO PATRONO, FAULTORE AC PRÆ-
CEPTORE SUO *omnis honoris cultu devenerando,*
Ad Diem 29. April. An. M DC XCIII.
IN AUDITORIO JCTORUM

Horis consuetis
publicè defendet
A. & R.
DANIEL ISRAEL MEYER,
Gedan.

WITTEBERGÆ, Literis MARTINI SCHULTZI.



15

INSTITUTIONES JURIDICAE

1. DE RE IURIS

LIBER PRIMUS

IN NOMINE DOMINI AMEN
HIC LIBER TRACTAT DE IURIS
PRINCIPALIIS

DE IURIS NATURALIS

DE IURIS CIVILIS

DE IURIS QUAE AD IURIS CIVILIS

PERTINENT

AD IURIS CIVILIS

IN NOMINE DOMINI AMEN

LIBER SECUNDUS

DE IURIS CIVILIS





CAPUT I.

GENERALIA CONTINENS
SUMMARIA.

I ntroitus.	Num. 1.	Causa Efficiens Pœna.	12.
Furiosi Etymologia.	2.	Solus Magistratus est.	13.
Furor interdum ponitur pro quo- vis immoderato Affectu.	3.	Unde ipsi hoc jus puniendi compe- tat.	14.
Furiosi nomine quoniam hic veni- ant.	4.	Jus conservandi nos ipsos in Remp. transtulimus, & eo etiam ejus consequens necessarium.	15.
Pœna Etymologia.	5.	Subjectum Pœna.	16.
Pœna etiam sumitur pro culpâ.	6.	Pœna Objectum.	17.
Legatum Pœna.	7.	Pœna commensurari debent deli- cto.	18.
Servus Pœna.	ibid.	Ad quamnam speciem justitiæ pœ- na referri debeant.	19.
Interdum etiam pro pœna con- ventionals.	8.	Fines Pœnarum.	20.
Item pro eo quod interest.	ibid.	Sunt vel Criminales vel Civiles.	21.
Pro Usuris etiam.	ibid.	Capitales vel non Capitales.	22.
Quid hic denotet.	9.	Digressio.	23.
Pœna Synonyma.	10.		
Descriptio Pœna.	11.		

DE Pœnis Furiosorum præsentis Exercitati-
one Academicâ dicturo, ne morem disputan-
tium hæcenus consuetum, monitumque Ulpiani
in L. i. ff. de Reb. Cred. negligere videar, pau-
ca



CAPUT I.

↑ ca quædam de significatione ipsius Rubri præmittere licebit.

2. Subjecti autem locum in eo sibi vindicat Vocabulum *Furiosus*, quod à Verbo non furio, ut nonnulli volunt, sed furo, furere, & hoc iterum à Græco *Φαριον, Φουέειν, Φέειν* derivari testatur *Becmannus de Origin. Latin. Lingv. sub voce Furere.*

3. Cæterum Vocabulum Furoris, Furiosi, aliquatenus *πολύσημον* videtur, quippe ponitur quoque pro omni immoderato Affectu, Amore, Irâ, Odio &c. Ita Virgilius cum dixisset:

Furoris gravis Ira:

subjicit:

— Causas tanti sciat illa Furoris.

Furorem impendiorum, id est, profusam & immoderatam impendendi libidinem *Svetonius dixit Nerone cap. 21.* Hinc furere pro impotenter gaudere *Horatius dixit. vid. Buchner. in Fabr. sub Voce Furoris.* Sic Amor secundum Philosophos est Furoris species, & *Propert. L. 2. Eleg.* dicit: sine sensu vivere amantes. Et passim Poetæ Amorem insanum, furiosum vocant, *vid. Gail. L. 2.*

4. *Obs. 120. n. 23.* Hæc autem significatio huc nihil facit. Furor enim nobis hoc loco est Mentis alienatio omni intellectu carens, *L. 22. §. 7. ff. Solut. Matrim L. 12. §. 2. ff. de Jud.* vel ut Cicero loquitur *3. Tusc.* mentis ad omnia cœcitas. Hinc Furiosi, qui Mentis non sunt compotes & rabie quadam animi agunt, quales Fabulæ memorant *Ajacem, Athamantem*: in quâ re ab aliis mente captis distant, qui in quiete sunt & sine tumultu & clamore desipiunt, quorum vitium plerumque naturale & perpetuum, cum Furiosorum naturale vix sit, nec perpetuum semper, *Vinn. §. 4. Inst. de Cur.*

Alte.

GENERALIA CONTINENS.

Alterum nunc in Rubro, Prædicatum nempe, quod
est poenam sustinere, paucis percurremus. Originem
Vocabuli Poenæ quod attinet, varii variè demonstrant,
Varro Lib. 4. Lingu. Latin. à pendendo, alii autem à puni-
endo, vel poenitendo, alii à pone idem derivant, *vid.*
Schard. in Lex. Jurid. sub voce Poena. Græcis autem istud
natales suos debere plurimi asserunt, ex Græco ποινή deri-
vando: ποινή enim Græcis dicebatur pretium quod Homi-
cida Propinquis & Affinibus mortui tribuebat, ne homi-
cidii reum agerent. Sed Pindarus etiam pro Præmio sive
pretio posuit, quod Ludorum dabatur Victoribus. Nunc
in malam partem accipitur, atque significat animadversi-
onem, ultionem, supplicium. *Buchner. in Fabr. sub voce*
Pœna.

Diversimodè autem hanc poenæ Vocem accipi cer-
tum est; denotat enim quandoque Poenæ vox in latiori &
minus propriâ significatione culpam, cuius Exemplum
habemus in *L. fin. ff. de Fidej.* Specialis quoque poenæ si-
gnificatio est in Legatis, quibus quid poenæ nomine legatur
§. 36. Inst. de Legat. Et specialior adhuc in eo quando quis
servus poenæ dicitur. Servus autem poenæ efficiebatur
qui in Metallum damnabatur, & qui Bestiis objiciebatur
§. 3. Inst. quib. mod. jus patr. pot. solv. Interdum etiam Pœ-
na sumitur pro conventionali poenâ, quâ partes contra-
hentes se adstrinxerunt ad servandam eò fidelius Legem
conventam *L. 47. ff. de A. E. V. §. fin. Inst. de V. O.* Quan-
doque etiam Poena accipitur pro eo quod interest, ut in
L. ult. ff. de eo quod certo loco. Item pro Usuris, *L. 40. ff. de*
R. C. L. 38. ff. de Negot. gest. Differentiam tamen usuræ à
poenâ *vid. ap. Schard. in Lex. Jurid. c. 1.* Quæ tamen, ut &
alia plures in Jure passim obvenientes improprie signifi-
canti-

- cationes huc non spectant. Denique poena sumitur pro
 9. coërcitione Delictorum *L. 131. §. 1. ff. de V. S.* & hæc Poenæ
 acceptio uti maximè usitata, ita imprimis ad scopum no-
 10. strum accommodata est. Poena autem & aliis Nominibus
 vocatur, *Vindicta, Ultio, Punitio*, & hæc Vocabulo poenæ
 exactè correspondent. *Supplicium L. 9. C. de Judais. Multa*
L. 131. §. 1. ff. de V. S. Specialiorem habent significationem
 Castigatio, Emendatio, Coërcitio & poenæ æquivalent,
 de quibus *vid. Colleg. 3. Argentorat. ad tit. ff. de poen.*
- 11.] Expositis jam quæ circa Nomen Poenæ præmonen-
 da fuere, Descriptionem ejus ponimus sequentem:
 Poena est Passio ob Delictum à summo Magistratu
 aut in vicem ejus legitimo Judice irrogata.
12. De Causâ Efficiente Poenarum graviter sanè contro-
 vertunt inter se Interpretes; Etenim prostat quidem Ef-
 fatum Juris Naturæ præceptivum; Sontes esse puniendos,
 licet non determinet quâ ratione id fieri debeat, ut contra
 Grotium *D. Ziegl. L. 1. c. VIII. n. XI.* disputat, & cui Execu-
 tio istius præcepti competeret, non adeò expeditum sit.
 Quodvis enim Individuum humanum capax & habile non
 est ad recipiendam hanc qualitatem moralem, par enim à
 pari poenam exigere nequit. *D. Ziegl. ad Grot. L. 2. C. XX.*
n. 38. dum potestatem cogendi & invito alicui quid infli-
 gendi non habet: Ergò nec Jus puniendi eidem attribui
 potest, quod Imperium & potestatem cogendi præsup-
 13. ponit. Soli Magistratui proindè Jus hoc puniendi no-
 centes competere, vel ex eo constat, quod sicut Auto-
 ritate suâ vim ac robur Legi tribuit, ita idem Vindex e-
 rit, ubi contra præceptum subditi fecerint. *vid. Dn. D.*
Becm.

Becman, Præceptor & Promotor studiorum meorum multis nominibus colendus, *Med. Polit. c. XV. § 3.*

Fundamentum autem Juris puniendi hic scrupulus comitatur, quod Poenæ invitis inferantur; verosimile autem non sit subditum in transferendo Jure suo aliquid Principi contulisse, quod sibi invito postmodum obtruderetur. In eo itaque illud situm arbitramur, quod Jus conservandi nos ipsos in Remp. aut Principem transtulerimus, & simul eo necessarium consequens ejus, Jus unumquemque ab eo quod nostrum est arcendi. Jus puniendi autem ex Jure arcendi alios ab eo quod nostrum est, fuit, ut quia prohiberi nolit, violenter arceatur, aliique à simili facto absterreantur. Dum itaque Jus conservandi & arcendi in Remp. transtulimus, ipse meum tertius ceterique omnes suum transtulere, atque eo ipso unusquisque alterum à suo arceri voluit, unde poenæ necessario sequuntur, non quas hic sui causa & suo consensu, sed propter aliorum Jura, & alii iterum propter hujus jura subeant, eoque à singulis approbatæ in universos exerceantur, verba sunt prælaudati *Dn. D. Becmaani Polit. Parall. Cap. XV. §. 1.*

Subjectum Poenarum esse homines, & quidem illos qui summx Potestati subsunt vel immediatè vel mediatè certum est. Facilèque hinc apparet, nec Majestate præditos, nec etiam Bruta huc pertinere. Imo etiam illos tantum Homines ad hunc censum referendos esse docent *Dd. qui capaces sunt Delicti, vid. Carpz. Pr. Crim. qu. 131. Pufend. de J. N. & G. L. 1. c. 6. n. 2.*

Ob quæ verò Delictum poena alicui possit irrogari latè & magno conatu disputant Doctores. Nos paucis dicimus ob omnem Actum qui adversatur Legi, atque intra Voluntatem non consistit, sed extra illam erumpit, Poenam

in-

infligi posse, sive in omittendo sive in committendo consistat: licet non negemus, non peccare Magistratum, si illos actus vitiosos externos, qui non adeò magnoperè societatem civilem lædunt, & quibus nulla Lege Pœna est statuta impunitos & DEi iudicio relinqvat. Nam si in hos vellet animadvertere, quis in hâc hominum imbecillitate viveret impunè?

18. Pœnas debere commensurari Delicto certum est, L. 11 ff. ad L. Cornel. de Fals. L. 8. C. ad L. Jul. de vi publ. adeò, ut ne quid durius aut remissius quam causa postulat, in Reum statuatur L. 28. §. 3 ff. de Pœn.

19. Quomodo autem hæc Proportio sit inveniendâ, non adeò conveniunt Dd. Plurimi ad doctrinam Aristotelis de Justitiâ commutativâ & distributivâ, quarum illi tribuit proportionem Arithmeticam, huic Geometricam, confugiunt, & ibi principia Definitionis hujus quærunt, diverso tamen modo. Illam quidem non improbo sententiam, quæ ad commutativam Justitiam refert pœnas, si modò rectè explicetur. Strub. Ex. 1. n. 32. Hahn. ad Wesenb. de J. & J. n. XI. Sæpius tamen à Viris peritis me edoctum memini, Doctrinam istam in ipsis rerum argumentis parum vel nihil habere utilitatis, longè satius facere illum, qui in irrogandis pœnis tum ad LLtoris Voluntatem, tum ad facti circumstantias, sive uti *Claudius Saturninus in elegantiss.* L. 16. ff. de Pœn. quæ tota huc pertinet, monet, ad causam, personam, locum, tempus, qualitatem, quantitatem & eventum respicit. Sicuti tunc si pœna Lege universali definienda, status & conditio Reip. & nùm Delictum multum vel parum noceat illi, ante oculos haberi debet.

20. Fines Pœnarum faciunt Dd. (1) utilitatem illius qui peccavit, ut emendetur, (2) utilitatem illius qui læsus est

est

GENERALIS CONTINENS.

est Delicto, & non hujus soli, sed (3) omnium in Civitate, ut hi à futuro damno tuti sint, sub quo tertio fine & quartus latitat, ut terra flagitiosis hominibus liberetur, ne DEUS O.M. certissimus iniquitatis Vindex pœnas à totâ Rep. sumat. *Grot. L. 20. ibiq. Comment. vid. Disp. ap. Gellium VI. 14.*

Pœnas publicas Jus nostrum Civile in civiles & criminales dividit, quarum illa privatum interesse respicit Actoris §. 10. *Inst. de Injur. L. 9. §. 5. ff. de Publican.* hæc verò publicum, d. LL. ubi Dd. Licet hodiè pœna Civilis sit quæ non afficit Corpus, ut pœna pecuniaria, relegatio &c. & criminalis quæ Corpus afficit, *vid. Lauterb. tit. de pœn. Carpz. Pr. Crim. q. 129.*

Criminales iterum dispeſcuntur in *Capitales*, quæ Capitalium tollunt, vel *naturale*, qualis pœna est Decolatio, L. *aut Damnum 8. §. Vita. L. Capitalium 28. pr. ff. de pœn.* Suspendium in patibulo d. L. 28. &c. vel *civile*, quo respectu pœna capitalis est, quando quis Libertatem vel Civitatem amittit, v. gr. in Pœnâ Metallî, d. L. 8. §. 4. ff. *de Pœn. in perpetuâ condemnatione ad Opus publicum L. 17. §. 1. ff. eod. & non-Capitales*, quæ non ad Capitis periculum pertinent L. 28. §. 1. *eod.* ut Relegatio, fustigatio L. 7. ff. *eod.* &c. Deinde quoque pœna distinguitur in ordinariam, quæ à L. determinata ac definita est, L. 8. §. *ult. ff. de vi publ.* & extraordinariam, quæ à LL. definita non est, sed Judicis Arbitrio relicta, L. 1. §. 1. ff. *de Effract. Lauterb. c. l.*

Premissis itaque hisce generalibus ad specialia descendimus, ubi demonstrare conabimur Furiosos puniri non posse. Sit itaque

B

CA-



CAPUT II.
DE
POENIS FURIOSORUM
IN SPECIE.

P oenæ præsupponit factum aliquod antecedens. 1.	Pœna pecuniaria in eum decernitur. 11.
Furiosus non committit Delictum. 2.	Furiosus Delictum committens tempore dilucidi Intervalli, punitur. 12.
Delicti ratio formalis consistit in Voluntate. 3.	In dubio furiosus præsumitur. 13.
Furiosus Voluntatem non habet. 4.	Furor probari debet. 14.
Furiosus non punitur. 5.	Probatum Furor signis externis, verbis. 15.
Sicut nec Infantes. ibid.	Ex Operibus etiam Furor probatur. 16.
Furiosus & Infans equiparantur in Delictis. 6.	Furiosus custodiendus est. 17.
Furiosus loco absentis, dormientis habetur. 7.	Insanus, Mente captus excusatur à Delicto. 18.
Pœna est ubi noxia est. 8.	Sententia Adversariorum, furiosos puniri debere, rejicitur. 19.
Quid si furor superveniat. 9.	Prodigus non excusatur. 20.
Executio differri debet. 10.	Epilogus. 21.

I. **V**ocabulum Pœnæ suâ naturâ relationem in se continere nemo non videt: involvit quippe respectum ad factum aliquod antecedens, sine quo tam parum pœna concipi potest, quàm Dominus sine servo, aut Pater sine Filio. Præsupponit itaque semper antecessum Delictum, in cuius Vindictam atque ultionem

tionem uti Magistratus Jure excandescit, cum Delicta puniri publicè interfit per *L. ita vulneratus si. in fin. ff. ad L. Aquil.* ita ubi nullum est Delictum, ab omni quoque Pœnâ & sævitiâ abstinere debet, nisi innocentem puniendò tam grave, immò gravius peccatum committere velit, quam nocentem non puniendo, *Prov. 17. vers. 15. L. 5. ff. de Pœn.*

Hinc non incongruum fore arbitramur, si Controversia nostra principali, *An quis ob Delictum in Furore commissum sit puniendus?* præmittamus quæstionem hanc præjudicialem, ex cujus Decisione Theseos principalis dependeat Veritas: *An furiosus Delictum committere possit?* Ad hanc autem Quæstionem respondemus Négando. Delictum enim non cadit in eum qui usu intellectus & Voluntatis caret. Quomodo enim cognoscet rem esse bonam vel malam? si non intelligat quomodo eligere potest bonum vel malum, si velle non potest. Sicque Delicti ratio formalis consistit in Proxesi & Voluntate peccandi, seu delinquendi, quæ cognitionem rei quandam præsupponit. Hinc est quod juxta nostros Delicta ex Voluntate æstimari debeant, *L. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* In Maleficiis Voluntas spectetur, non Exitus, *L. 1. §. 3. L. 7. L. 14. ad L. Cornel. de Sicar.* Item Voluntas atque propositum delinquentis Maleficia distingvat, in *L. qui Injuria. 53. ff. de Furt.* Jam verò Furiosi nulla est Voluntas per *L. Furiosi. 40. ff. de R. J.* Hic enim quia propter defectum naturalis judicii omni caret intellectu, nec velle dici potest. Atque sic Delictum ejus quia sine animo & proposito delinquendi est, licet materialiter Delictum sit, pro Delicto tamen formaliter non habetur.

B 2

Qvo

5. Quo posito non delinquere scilicet posse Furiosum propriè & formaliter; fuit inde nec poenâ affici debere sive capitalis, sive poena corporis afflictiva, sive alia denique illa sit, licet factum aliàs in maximum etiam incidat delictum. *L. 14 ff. de Off. Pras.* Atque ita ejusdem conditionis sunt ac Infantes, qui ex Delicto neque obligantur, neque poenam aliquam incurrunt per *L. Infans. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* cum Leges nostræ crudelè admodum esse dicant, ut Infantes omnis cum Doli, tum Culpæ incapaces peccasse intelligantur *L. si quis 33. §. 1. ibi:* satis enim crudelè. *Cod. de inoffic. Testam.* quippe qui quodcumque vident, id ignorant, *L. 1. ibi:* Impuberes verò. *Cod. de Falsâ Monetâ.* Furiosum autem & Infantem in Delictis planè æquiparari satis clarum est ex *all. L. Infans 12. ff. ad L. Cornel. de Sic. & Ord. Crim. artic. 197. verbis:* der Jüngend oder anderer Gebrechlichkeit halber seine Sühne nicht &c. *Carpz. Pr. Crim. P. 3. qd. 145. n. 17.* Cui & id accedit, quod eum fati infelicitas satis excuset *all. L. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* cumque satis furore ipso puniatur per *L. Divus Marcus 14. ff. de Offic. Pras. L. poena parricidii 9 §. 2 ff. ad L. Pompej. de Parricid. Et per L. Apud Aristotelem 61 in fin ff. de Administr. & peric. tut.* Imò Furiosus, cum loco absentis, ignorantis, & dormientis habeatur per *L. 2. §. 3. ibi:* cum per omnia & in omnibus *ff. de Jure Codicill. & L. ubi non Voce 124 §. 1 ff. de R. J. nullum Negotium efficaciter gerere | L. in negotiis 5. ff. de R. J. & §. furiosus 9. Inst. de inutil. Stipul.* & sic per consequens nec Delictum committere potest ad hunc Effectum, ut ex eo obligetur ad poenam, cum nihil sit in illo Judicii, Menteque planè careat. Poenam autem ibi esse debere, ubi & Delictum est *Impp. Arcadius & Honorius*

in *L. Sancimus. 22. Cod. de poen.* rectè decernunt. Itaq; illud quod à furioso factum, perinde habendum est, ac si casuali quo sine facto Personæ id accidisset ut in *all. L. 61. ff. de Administr. & peric. Tut.* eleganter dicitur.

Sed quid si quis dum sane Mentis esset Delictum perpetraverit, postea autem Furore corripiatur? Resp. Nec hunc durante Furore Pœnâ capitali, vel Corporis afflictivâ puniendum esse probant *Gometz var. Res. T. III. Cap. I. n. 73.* & *Tiraquell. de Pœn. Caus. 3. n. 1. sequ.* qui *n. 2. & 3.* hanc addit rationem: Furiosum loco absentis per *L. 2. §. furiosus 3. ff. de Jure Codicill.* haberi, immò Mortuo æquiparari in *L. Bonorum 24. §. 1. ff. ratam rem haberi.* At in absentem & Mortuum regulariter sententia non ferri, nec pœna corporalis infligi his potest. *L. 59. §. ult. ff. de re judic.* *L. 5 ff. de Poen.* & *L. 6. ff. de Publ. judic.* Ergo nec in furiosum qui absentis & mortuo similis per *all. text.* Accedit & hæc prægna ratio quam *Gometz. c. l.* habet: fortè talem delinquentem qui postea effectus est furiosus, habere aliquam justam causam defensionis, quam Curator ejus ignorat. Et si maximè sententia sit lata, tamen Executio differri debet, tam si pœna corporalis, quàm si ultimum supplicium fuerit decretum. Et hoc posteriori casu eò magis, quia animæ habenda ratio, & tempus ad confitendum peccata & obtinendam remissionem eorum indulgendum. Ideò expectandus, est ut redeat ad sanam mentem. Imò si nulla spes sit furiosum reduci posse ad sanam Mentem, tamen eum non esse puniendum pro Delicto ante Furorem commisso statuit *Farin de poen. temper. qv. 94. n. 15.* Anne II. autem hoc casu pœna pecuniaria in eum decerni potest.

B 3

Resp

Resp. Distingv. Si quis Furiosus evadat non solum post Delictum & post processum informativum, sed etiam post defensionem, & multò magis si Furor superveniat post sententiam, tunc enim cum jam evidenter constet de Delicto, Furiosus condemnari posset in poenam pecuniariam. Si verò Furor superveniat ante factas Defensiones, & multò magis si ante factum processum informativum, tunc nec etiam poenà pecuniarià posse puniri verius esse tradit *Farin. d.l. n. 22.* Relegationis quoque poenam non commodè in furiosum decerni posse, probabimus datà occasione in conflictu.

12. Si autem Furiosus habens dilucida Intervalla deliquerit cum Mentis compos fuerit, non excusatur à Delicto, sed meritò puniendus sicut quilibet alius *L. Divus Marcus 14. §. si verò ff. de Offic. Præs.* quia si furiosus habet dilucida intervalla, benè potest tempore quo est sanæ Mentis facere testamentum, celebrare contractum, & quemlibet alium Actum *L. Furiosum 9. Cod. qui test. fac. poss. Gomez. c. l. n. 70.* Ita tamen ut Executio poenæ corporalis vel ultimi supplicii eotempore fiat, quo animo non est destitutus. Tunc tamen excusatur sine dubio furiosus habens dilucida Intervalla si constet cum deliquisse tempore furoris.

13. Si verò dubitetur quo tempore deliquerit habens dilucida Intervalla, an tempore furoris, an verò tempore sanæ Mentis, in dubio ad excludendum Delictum & poenam præsumendum est potiùs, quod Delictum commiserit tempore Furoris, quàm tempore sanæ Mentis. *Ancharan. in Clem. 1. n. 6.* quia semel furiosus semper præsumitur furiosus. *Gloss. in cap. ult. de success. ab intest.* hinc qui tempore dilucidi intervalli Delictum factum fuisse affirmat, illud probare debet. *Menoch. L. 6. præsumpt. 45. n. 63. seqq.* Licet

DE POENIS FURIOS. IN SPECIE. 15

Licet autem Homo nasci possit furiosus, non tamen
 præsumitur Furiosus nisi probetur *L. nec Codicillos 5. Cod. 14*
de Codicill. Siquidem quilibet homo sanæ Mentis esse
 præsumitur, quia semper quis præsumitur esse talis, qua-
 lis naturaliter esse debet, *Gloss. c. l.* Hinc nec delinquenti
 Furorem alleganti statim credendum ac poenam ipsi re-
 mittendam esse tradit. *Carpz. c. l. n. 27. & 28.* Reus itaque
 vel Defensor ejus in Furore se fundans eundem probare
 tenetur.

Furor verò cum sit difficilis probationis, ideò probatur 15.
 signis & conjecturis exterioribus, in quâ re multum tri-
 buendum est iudicio Medicorum, *Farin. d. l. n. 42. Carpz.*
all. l. n. 29. Testes etiam in partes vocari solent, qui ex
 verbis & factis de furore possunt ferre testimonium.
 Quod attinet ad verba, Furorem inde probari posse do-
 cet, *L. 4 §. I ff. de adilit. Edict.* ubi dicitur quod animi Vi-
 tium probatur in eo, qui per vicos more Insanorum deri-
 denda loquitur. Cui suffragatur *cap. 1. §. si verò. de Cler.*
egrot. in 6to. ubi dicitur: eum dici dementem, qui ne-
 scit exprimere quid velit, aut nolit. *Et L. 27. ff. de condit.*
Inst. ubi habetur: eum præsumi esse Mentis incompetem,
 qui sibi fecit hæredem sub hac conditione, si Corpus ejus
 in Mare abjiceret. Ex talibus enim incongruis sermoni-
 bus præsumitur quis non sanæ Mentis. *vid. Pacian. de*
probat. Lib. 1. c. 43. n. 15. seqq. ubi prolixè hac de re agit. Quæ
 omnia Furorem verò magis arguunt, si verba ipsa cum cla-
 more sunt prolata & impetu, per ea, quæ supra n. 4. di-
 cta c. l.

Ex Factis autem multò magis Furor probari potest, 16.
 quando quis ea facit quæ non conveniunt homini sanæ
 men-

mentis, sed furioso, ut si quis publicè & palam occiderit alterum, cum quo nullam habebat Inimicitiam, & postquam vulneravit, non se absconderit, aut aliàs Delictum occultare quæserit; quod Exemplum ponit *Farin. d. l. n. 11.* Quibus autem signis, quibus conjecturis Furor ulterius probetur, in præsens dum brevitati studemus, omitterimus.

17. Sed anne Furiosus ita dum à poenâ excusatur, prorsus dimittendus & liberandus est? Resp. *Neg.* Sed custodiendus est in carceribus, ac etiam si opus fuerit in Vinculis & compedibus, non quidem in poenam Delicti commissi, sed ne quid perniciosius in seipsum aut in alios molliatur, juxta elegantissimum Rescriptum D. Marci & Commodi in *L. Divus Marcus 14 ff. de Offic. Praef.* Ubi id quoque habetur, quod si Custodes fuerint negligentes in custodiendo, & ex hac negligentia furiosus deliquerit, eos pro modo culpæ & negligentiae puniendos esse. *conf. L. 13. eod.* Non negaverim etiam ejusmodi homines, si compesci nequeant verberibus esse coercendos. In qua re tamen modus meritò servandus est.

18. Anne autem hæc omnia quæ de Furiosis diximus extendi quoque possunt ad Insanos, dementes seu mente captos &c. quos à furiosis differre *cap. 1. n. 4.* dixi? Resp. Affirmativam tenemus, si Mentis usu planè careant. At tamen in his momenta diligenter aestimanda, & Actionum qualitas, an sanæ Mentis convenient vel minus, accurate consideranda. Quibus probè consideratis & Medicorum Judicio adhibito ad Arbitrium Judicis pertinet, an & quanam poena, ordinaria vel extraordinaria sit decernenda. *Carpz. c. 1. n. 2. & 3. vid. Farin. c. l.* ubi plura hæc de

DE POENIS FURIOS. IN SPECIE.

17

de re invenies. Sunt quidem haud pauci qui in diversa
 à nobis abeunt, & varias causas allegant, ob quas Furio-
 sos poenis subicere non dubitant. Inter quos est & ipse
 supra laudatus *Dn. D. Becman. Polit. Parall. .XV. §. 5.* ad
 quas in conflictu DEo volente respondebimus datâ Oc-
 casione. Illud tamen hîc non possum non addere, non
 adeò benè à Bove cornipetâ, quem DEus, si hominem
 occidat, è medio tolli jubet, *Exod. 21. v. 18.* inferri ad Fu-
 riosum. Facilius enim est ut occidatur Brutum, quàm
 Furiosus ob Animæ periculum, & ob hoc ipsum quod ho-
 mo est, qui redire ad sanam Mentem potest, *Bachov. ad
 d. l. 14. ff. de Offic. Pras.*

19°

Antequam verò Colophonem huic nostræ scriptioni 20
 imponamus, paucis dispiciemus de prodigo, an ne scil. &
 hic excusetur à Delicto, cum æquiparetur furioso in L.
Furiosi 40. ff. de R. J. & c.? Resp. Neg. quia vitium con-
 junctum vitio non excusat Maleficium. *Farin d. l. n. 46.
 conf. Rosfred. Beneventan. Ordin. judic. P. VIII. de Constit. si
 quis intantam n. 20.*

Et hæc sunt L. B. quæ de Poenis Furiosorum in præ- 21.
 senti proponere volui ac per ætatem potui, quæ omnia
 si minus forsan accuratè sint elaborata, ignosce quæso
 Plura equidem addere potuissem, quæ tamen dum
 brevis esse volui omitto,

Gratiasagens

D. O. M.

*Cui sit Laus & Gloria per omnia
 Secula.*

Ad Politissimum
DN. RESPONDENTEM.


QUæ de insigni eoque ambiguo argumento erudite differis, Ornatissime Meyere, atque publica subjecis ventilationi, Patriæ & Patronis haud vulgare specimen indolis ac industriae tuae dabunt, omniumque ingenuarum animorum mentium tibi conciliabunt favorem. Non prolixa quidem est, sed intra brevitate[m] continet se præsens tractatio, quæ de miserrima hominum, qui usu rationis carent, aggrederis conditione: testatur tamen abunde, te magni animi contentione omnia jura, quæ ad hanc rem faciunt, esse scrutatum, atque præceptis tum doctrinæ moralis, tum Jurisprudentiæ nostræ haud leviter imbutum. Tua omnia sunt, quæ in publicum producis: quibus ego manum nolui admove[re], ut illi quibus rationem studiorum reddere debes, & quorum est de iis facere judicium, intelligant Vires tunc atque facultates. Hoc vero meum est, ut applaudam Tibi & de conatu hoc gratuler, precerque Deum immortalē uti Tibi merces laborum & præmia virtutis felicissime contingant. Srib. Wittebergæ apud Saxones VI, Kal. Maji CII C^oXCIII.

PRÆSES.

L Eucoreis fueras vix cognitus advena Musis,
MEYERE, Aonii portio grata chori,
Et statim, ingenii quæ sint ostendere dotes,
Volvebas animo, nocte dieque, probo.
Egregium factum! mox præmia larga sequentur,
Quæis dignum est multæ sedulitatis opus.

*Civi & Amico honorando
affectum testaturus
scribebat
cum voto & gratulatione*

M. Daniel Gradus,
Dantisc.



Himmels-Geister bleiben nicht
An den Erden-Kloß behangen /
Was den steten Fleiß ansieht
Solches stiller ihr Verlangen.
Unsers Meyers sein Gemüth ist nun auch bereit zu
gehen /
Dahin wo die Leucoris pflegte mit der Themis ste-
hen.
Dies hat sein steter Fleiß / Ihm hie zu weg gebracht /
Dadurch ein Nachbahr Er der Sternen ist gemacht.

Diese wenige Zeilen hat seinem Geehrten
Herrn Lands-Mann und werthen
Freunde wollmeinend bey-
fügen wollen

Johann Isaac Trempenau / v. D.

Auff

Auff die Sinnreiche Disputation
des Wol-Gelahrten
Herrn Daniel Israel Meyers /
Beyder Rechten eyfrigst beflissenen.

Das Land in grauem Eys der Winter ganz verkleidet /
Bis Majus bricht heran / der nachmahls frölich weidet
Der Menschen Augen-Licht mit viel und schöner Zier /
So Ceres grosses Reich die Erde bringt herfür.
Da jauchzet jederman / die Leur im Bauren-Orden
Sich freuen / wan sie seh'n / das nunmehr reiff ist worden
Die längst erwünschte Frucht / da sind sie allzumahl
Zu meyen bald bedacht / das Land und Feld werd' kahl.
Ein gleiches mag ich auch von Ihm / Herr Meyer / sagen /
In dem zur Winterzeit / Er in den sauren Tagen
Der Arbeit und der Müh' / die Hoffnung darauff setzt /
Wie unverdroßnen Fleiß dennoch die Freud ergöht.
Was der Altraen Zier Coccejus / und der Sitten
Weise Gamaliel, Becmanus, und als dritten
Der Weitberühmte Schults / für Arbeit angewandt
In Franckfurth / solches macht nun Wittenberg be-
kandt.
Es kan die Streit-Schrifft uns hievon ein Zeugniß geben /
Daz durch so grossen Fleiß / der Weisheit edle Neben /
Sich winden umb Ihn her / und daz nach Müh' zu Lohn /
Er frölich meyen wird der Themis Ehren-Krohn.

Dieses hat in Eyl seinem werth-geschätz-
ten Herrn Landsmann / so willig als
schuldig beyfügen wollen /

GOTHOFREDUS KOTZERUS,
Ged.SS.Th.Stud.

❧ (o) ❧





DA A 6540

ULB Halle 3
002 937 247



Sb.

W 17





No 18.

Q. D. B. V.
POSITIONES JURIDICÆ,
DE
P O E N I S
FURIOSORUM,

Qvas
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
IN ILLUSTRIS AD ALBIM ACADEMIA,
P R Æ S I D E
FACULTATIS JURIDICÆ DECANO
SPECTABILI,
DN. CASPARE HEINRICO
HORNIO,
J. U. D. & PANDECT. P. P. CURIÆ PROVINCIALIS
& SCABINATUS ASSESSORE,
DOMINO PATRONO, FAULTORE AC PRÆ-
CEPTORE SUO *omnis honoris cultu devenerando,*
Ad Diem 29. April. An. M DC XCIII.
IN AUDITORIO JCTORUM
Horis consuetis
publicè defendet

A. & R.
DANIEL ISRAEL MEYER,
Gedan.

WITTEBERGÆ, Literis MARTINI SCHULTZL.

